pronuntiatum. Et quod ille mutus intimare vocabulum filii
nequit uxori, sed per prophetiam Elisabeth didicit quod non didice
rat a marito. Iohannes est inquit nomen eius. Hoc est non ei nos nomen
imponimus, qui iam a deo nomen accepit. Habet vocabulum suum
quod agnovimus, non quod elegimus. Habent hoc merita sanctorum,
ut a deo nomen accipiant. Sic Iacob Israel dictus est quia deum vidit.
Sic dominus noster Iesus nominatus est antequam natus, cui non angelus.
sed pater nomen imposuit. Revelabitur enim inquit filius meus Iesus.
cum his qui cum eo iocundabuntur, qui relicti sunt in annis quadrin
gentis. Et erit per annos hos et morietur filius meus Christus et
evertetur seculum. Vides angelos quod audierint, non quod usurpave
rint nuntiare. Nec mireris si nomen mulier quod non audi
vit asseruit, quando spiritus ei sanctus quod angelo mandaverat re
velavit. Neque poterat domini ignorare praenuntium, quae pro
phetaverat Christum. Et bene additur: quia nemo in
cognatione eius vocabatur hoc nomine, ut intellegas
nomen non generis esse sed vatis. Zacharias quoque nutu in
terrogatur, sed quia incredulitas ei affatum eripuerat et audi
tum, quod voce non poterat manu et litteris est locutus. Scri
psit enim dicens: Iohannes est nomen eius. Et hic nomen non imponit sed
adstruit. Merito quoque continuo resoluta est lingua eius, quia quam
vinxerat incredulitas fides solvit. Credamus et nos, ut
ut loquamur, ut lingua nostra quae incredulitatis vinculis
est ligata, rationis voce solvatur. Scribamus spiritu mysteria,
si volumus loqui. Scribamus praenuntium Christi non in tabulis la
pideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Etenim qui Iohannem
loquitur, Christum prophetat. Loquamur Iohannem, loquamur
et Christum, ut nostrum quoque os possit aperiri, quod in sacerdote
tanto irrationabilis mentis pecudis frena nutantis fidei
coercebant. Et Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto.